

emerit, quasi ignoratione propriæ artis de culpa teneretur. Contra faber aurarius se rogarum solum lapidis lydij probationem, quam vere retulisset, non autem scalpri, tentasse, eiusque rei nomine nullam accepisse mercedem. Consultus à prudentissimo atq; amplissimo viro, cuius nunc sum collega, quid iudicandū putarem, respondi, si torquis tantum deauratus esset, aduersus fabrum aurariū sententiam dici oportere, quod sola deauratio lapidis lydij probatione iterata sepius deprehendi potuisset: Sin vero aurum superficiiei torquis adglutinatū corpus per se substitisset, exceptione tutū fabrū aurarium, eumq; absoluendum, quod minime lapide lydio, sed scalpro tantum iudicari potuisset. Statim hac interlocutione lata, aqua acri probatione vnus ex fibris facta, substitit corpus aureum in imo vasis vitrei, argentum vero effusum & solutum in aqua acri conspeximus. Quod si sola deauratio fuisset, in puluerem impalpabilem & tenuissimum eiusdem vasis vitrei fundo subsidisset. Hoc vbi ab emtore cognitum, à lite discessit, præiudicialem enim sententiā præiuderat. Verum ita iudicari non potuisset, nisi consultis hac de re fabris aurarijs, atque emendicatis eorum consilijs.

Quod autem Erasto, qui probris & conuitijs multis hanc Philosophiæ partem, cuius ignarus fuit, laceffinit, respondere sub finem Apologiæ conabor, iudicio saniorum hominū relinquam, responsio nostra futura sit nec ne potior probris & conuitijs. Equidem Erastus vir fuit summæ auctoritatis, sed fuit homo, multasq; artes & faciles quidem ignorauit, quas imbecillioris ingenij homines non ignorarunt. Multas quidem vniuersales propositiones in mediū adduxit, at eas, quæ arti huic sunt propriæ & peculiare, ignorauit. Quod ad ceteros attinet, institutum hoc meum, vt volent, æstiment. Is tantum scribo, qui non indicta causa, sed omnibus hinc inde examinatis & perpensis recte iudicant, & arcana Dei suspiciunt & venerantur. Nec vero mihi quis imputet, vel vitio vel crimini, si quæ hætenus celata sunt, in lucem proferam. Imo coarguendi veteres, nec non & cæteri, qui rem per se satis obsecuram suis inuolucris obscuriorem reddiderunt. Quod si agendi methodum celare illis licuit; saltem rationes & causas, ex quibus, à quibus, per quas & propter quas ars consistere possit, aperuisse debuissent: quod à nullo eorum præstitum video. Nec tamē verendum fuerat, ad hanc artem per-

Erastus
huius ar-
risignarus
eandem
probris læ-
cessiuit.
Idem vir
summæ
auctorita-
tis.

Veteres
coarguen-
di.

Ad artem
non facile
perueni-
tur.